

1499 sar cum Pisaurum vellet Patribus permittentibus exercitum adducere, propter novos Mediolani motus destitutus nam Patres, cum ad urbem Joannes Princeps Pisauren-sium de Cæsaris in se voluntate certior factus venisset, oppidumque vellet reipublicæ tradere, modo ipsi aliquid in reipublicæ finibus oppiduli aut castelli Senatus daret, quo se alere & sustinere posset: consulto Senatu responderunt, nolle se ei præsidio esse, qui reipublicæ obesse voluisse. Id autem propterea Patres commemoraverant, quod Ludovici legatos ad Turcarum regem contra rempublicam missos, Joannem hospitio accepisse, navibus, rebus omnibus juvisse, regisque item ad Ludovicum legatum nave Pisauri egressum domi suæ habuisse, clamque ad illum misisse, tum ipsum singulis de rebus, quæ in urbe agerentur, literas ad regem dedisse, antea cognoverant. Sed Mediolani motus fuerant ejusmodi.

*Ludovicus  
reditus in  
ducatur  
Mediolanensem.*

Ludovicus copiis non maximis in Rhetis comparatis, eorum factione, quos Galli irritaverant, quique res novas moliebantur, magnopere adjutus, in fines se regni contulerat in sequente anno inito. Ejus adventu Triultius duxque regius ex duobus alter vehementer permotus atque perturbati, quod civitatis defectionem timebant, copias regias, quæ cum Cæsare aberant, revocaverunt, atque ad se celeriter reverti jusserunt. itaque Cæsar multo majore sui exercitus parte ablata, de Pisauro expugnando cogitationem in aliud tempus omisit, Romamque se contulit. Ludovico ad recuperanda, quæ amiserat, cum exercitu revertente, Senatus decrevit, ut milites equitesque reipublicæ omnes in agrum Cremonensem evestigio contendenter: ut Helvetiorum militum tria millia celeriter accenserentur: legatique ad bellum Petrus Marcellus, Christophorus Maurus lecti. Ipse interea Ludovicus Como per suos sine vi atque celeriter recepto (Galli enim, qui in eo erant, veriti ne ab oppidanis atque ab hostibus intercluderentur, municipio reliquo discesserant) Ascanium fratrem cum parte copiarum Mediolanum præmisit: quo appropinquante, cives armis captis Triul-

tium